

190a. **O. angustisepalum** Kränzl. n. sp. — Inflorescentia tantum praestat, 50 ad 60 cm alta et forsitan altior, a dimidio circ. florifera, scapus tenuis tamen strictus, rami crebri, tenues, breves, denique fractiflexi, bracteae minutae, triangulae, pedicelli cum ovariis fere filiformes dicendi 1 ad 1,2 cm longi. Sepala libera, e basi lineari paulum dilatata, apice rotundata, 1 cm longa, antice 3,5 ad 4 mm lata, haec omnia undulata, crispata. Labelli lobi laterales ita dicendi nulli, basis labelli crenulata vel obscure bilobulata, deinde paulum angustior, lamina antice valde dilatata, profunde biloba, sinu amplo, crista labelli minute puberula vel velutina, primum linearis, deinde heptadactyla, dactylis in series 3 parallelas dispositis, medianis altioribus, totum labellum 1,2 cm longum, basi 3 ad 4 mm, antice (lobus intermedius) 1,3 cm latum, pars angusta basilaris 6 mm longa, antica aequilonga. Gynostemium e basi tenui valde incrassatum, quasi capitatum, alae magnae, superne longe acutatae, antheram superantes, infra brevis acutatae, margine obscure crenulatae, fovea stigmatica magna, rostellum longum, biapiculatum, anthera longa, triangula, fovea infrastigmatica parva. Flores tenerrimi, pallide aurei, brunneo- vel purpureo-vittati. — Fig. 18 D: a—d.

Subaëquatoriale andine Provinz. Costa Rica (Endres!).

Nota. More suo detestabili cl. Endres inflorescentiam solummodo exsiccare placuit, haec autem feliciter bene conservata est. Flores nulli speciei comparandi sunt, labellum toto ambitu spathulatum, lobis lateralibus fere omnino obsoletis, sepala petalaeque inusitate tenera. Est ceterum planta pulchra et colendi digna.